



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Veluti Totidem Ramos
Distributa

Ilsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCCXII. Continuatio ejusdem Argumenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

prægnans circumfers, non differ, nec imperfecta Virtute, præsertim Pænitentiæ, ad Justificationem necessariæ, contentus esto.

PUNCT. III. *Orate autem, ut non fiat fuga vestra in hyeme, vel Sabbato.* v. 20. Illorum autem fuga fit in hyeme (quando itinera nivibus sunt præpedita) vel in Sabbato (quo non licuit apud Judæos ultra septingentos passus iter facere) qui vel in seram senectam, vel ad mortem usque, quæ potestatem bene operandi tollit, emendationem suam differunt. Itaque *Dum tempus habemus, operemur bonum.* Galat. 6. v. 10.

MEDITATIO CCCCXII.

Continuatio ejusdem Argumenti.

Matth. 24. v. 29. Marc. 13. v. 24.

Luc. 21. v. 25.

PUNCTUM I. *Statim autem post tribulationem dierum illorum* (futuram paulò ante Extremam Diem Judicij, ad quam rectius refertur particula *Statim*, quam ad devastationem Jerosolymitanam) *Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & Stellæ cadent de Cælo, & Virtutes Cælorum commovebuntur.* Matth. 24. v. 29. Idem his verbis refert S. Lucas c. 21. v. 25. *Erunt Signa prodigiosa, & prænuncia venturi Judicis) in Sole, & Luna, & in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris, & fluctuum: arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ supervenient universo orbi: nam Virtutes Cælorum movebuntur: quia amittent suam vim a-gendi, & influendi in corpora terrestria; & Astra amittent suum splendorem; quod idem est, ac Stellæ cadent*

436 *Ab Octava SS. Corp. Christi usque ad Adventum.*
cadent de Cælo. Considera, hæc non tantum dici ad
terrorem eorum, qui tunc temporis victuri sunt; sed
etiam ad nostrum, ut nunc tam tremendum aliquan-
do venturum Judicem nobis per Emendationem Vi-
tæ, & per Opera Satisfactionis placemus, ne, si haec
irati Numinis signa sunt edenda in creaturis inanim-
atis, quæ Divinam Voluntatem planè in omnibus
executæ sunt, longè magis edantur in Anima nostra,
quæ Voluntati Divinæ sæpe adversata est.

PUNCT. II. *Et tunc parebit Signum Filij hominis in*
Cælo. Matth. 24. v. 30. Unde Ecoleſia in officio S. Cru-
cis canit: *Hoc Signum Crucis erit in Cælo, cùm Dominus*
ad iudicandum venerit. Quanto solatio aspiciens hoc
Signum Amatores Crucis, qui baiulaverunt Crucem
suam quotidie; imò qui Christo confixi sunt Crucis!
Quàm terribile erit inimicis Crucis Christi, quibus
fuit stultitia & scandalum!

PUNCT. III. *Et tunc videbunt Filium Hominis, vi-*
nientem in nube cum Potestate magna & Majestate. Luc.
21. v. 27. Hoc Adventu gaudebunt Justi, quia tunc
maxime implebitur Vaticinium Isaïæ 62. v. 11. *Ecce*
Dominus auditum fecit in extremis terræ, dicite Filii Suoi
(Ecclesiæ Triumphantí, vel cuivis Animæ Beatae)
Ecce Salvator tuus venit: ecce Merces ejus cum eo, & Opus
ejus coram illo. Et illud Apoc. 22. v. 12. *Ecce venio cum*
& Merces mea mecum est, reddere unicuique secundum O-
pera sua. Contrà codem Adventu terrebuntur impíj,
quia altera Prophetia implebitur Apoc. 6. v. 15. *Et*
Reges terræ, & Principes, & Tribuni, & dñites, & for-
tes, & omnis servus, & liber, absconderunt se in speluncis,
& in petris montium, & dicunt montibus, & petris: Cad-
super nos, & abscondite nos à Facie sedentis super Thronu-

O ab Ira Agni : quoniam venit Dies Magnus iræ ipsorum. Et quis poterit stare ? Beati itaque videbunt Filium hominis Venientem in nube : & nubes lucida obumbrabit eos , sicut Discipulos Christi in monte Thabor. Matth. 17. v. 5. quia erit nubes protegens. Reprobi vero videbunt Venientem in nube , sed fulgurante. *Sicut enim fulgur exit ab Oriente , & paret usque in Occidentem , ita erit Adventus Filij hominis.* Matth. 24. v. 27. Videbunt eum etiam venientem *Cum Potestate magna :* quia *Potest & Animam , & Corpus perdere in Gehennam.* Matth. 10. v. 28. *Et Majestate , qua tremefacti exclamabunt : DEVS Majestatis intonuit.* Ps. 28. v. 3. Tu itaque nunc time hanc venturi Judicis Potestatem & reverere , ac ama Majestatem , quia nunc Timor salubris , & Reverentia meritoria est ; ut dici possit : *Ecce Rex tuus venit tibi Mansuetus.* Matth. 21. v. 5.

M E D I T A T I O CCCCXIII.

Continuatio eiusdem Argumenti.

Matth. 24. v. 36. Marc. 13. v. 32.

Luc. 21. v. 34

PUNCTUM I. *De Die autem illo , vel horâ nemo scit , neque Angeli in Celo , neque Filius , nisi Pater.* Marc. 13. v. 32. (His verbis Christus non negat , scire se tempus , aut Diem futuri Judicij ; sed id tantum affirmat , se Scientiam illam non aliunde , quam à Cælesti Patre acceptisse , nec alijs eam communicare statuisse : solus enim Pater eam habet à se , & illam communicat Filiῳ : *Pater enim diligit Filium , & omnia demonstrat ei.* Joan. 5. v. 20. Uterque autem eam communicat Spiritui Ee 3 Sancto ;